

Secundus religionem professus, haud multum religionis speciem dedit, et brevi vita decessit. Tertius diu ac sancte vixit. Jacebat ægrotus Franciscus Borgia, medici vitam desperarant: Aloysius, prædixit fore, ut paulo post convalesceret, ac videret duos e filiis qui uxorem ducerent: ideo suam in Deo spem poneret. » Atque hæc quidem de Aloysio Boz. t. 4, de sig. Eccl. sig. X. Græcis ob dissensionem et discessionem a Rom. pontifice, et ob superbiam patriarcharum Constant. aliquot, qui sibi nomen œcumenici arrogare ausi sunt, excidium prædixere Leo M. Gregorius M. speciatim Nicolaus V. Græcis universale quoddam decretum respuentibus inter alia sic scribit, (ut refert Gennadius patriarcha Const.) « Sed toleramus in Jesum respicientes sempiternum sacerdotem et Dominum, qui sterilem illam sicut usque ad annum tertium jussit asservari, agricola jam ad excidendam arborem se accingente, quia nullum fructum ferebat. O magnam calamitatis ruinam: anno millesimo quadringentesimo quinquagesimo primo hanc conscripsit epistolam: et millesimo quadringentesimo quinquagesimo tertio capta est Constantinopolis. Nam potestis dicere hæc vera non esse? Minime gentium: cum id sit manifestum et res ipsa aperte loquatur. Tres inquit annos expectabimus, si vos forte a schismate et separatione converteritis, et vos vere decreto adjunxeritis, secundum Salvatoris defici præceptum. Sin minus, excindemini ne terram otiosam et inutilem reddatis. Hoc miraculum miraculum maximum, quod ut in epistola ipsa scribit Nicolaus papa, Græcorum gens illa magna et formidabilis, sapiens, clara, fortis, terrarum domina, ob divinam ultionem ita in barbarorum servitutem abducta est. Hæc narranti mihi subit lamentari, et deplorare excidium gentis nostræ. » Anno 1595. obiit Romæ S. Philippus Nerius qui quam plurimos eventus aliis prædixit, ut refert Antonius Gallonius, in ejus vita. Coævus Philippo vixit Romæ S. Ignatius et ipse prophetiæ spiritu illustris, ut in ejus vita videre est. B. Franciscus Xaverius plurima sæpe in publicis concionibus populo præsignificavit. Quid memorem alios ex ejusdem Ignatii societate, uti cardinalem Bellarminum, Petrum Canisium, etc. eodem dono præditos? Id enim attestantur eorum acta typi vulgata. Taceo alios quos recenset Thomas Bozius. l. VI. de fig. Eccl. fig. XIX. Alexandrum Capocchum Florentinum ex ordine S. Dominici; Antoniam, mulierem Romanam sanctitate præstantem; Catharinam Raconisiam; Margaritam Reyennatem, etc. quorum vaticinia longum nimis foret referre. Unicum id audiamus, quod in Germania nostra virgo sanctissima Hildegardis edidit prævi-

deas hæreses in ea orituræ opera Lutheri et Calvini, uti refert Thaulerus. « Ah! misera Ecclesia quid ages? Mille hæreses in te exorientur, quibus resistere vix poteris. Edes tuæ sacræ, atque acro ipsa tuam sacra profanabuntur: principes contra te insurgent, populi contra te arma capient, omniaque in ruinam tuam conspirabunt. Quum primi illi homines luxui et voluptatibus sese dedissent, Deus aquarum eluvionibus universam terram submersit: et quia ultimi sæculi homines incredulitate, et quovis opinionum vento abripi se patientur, Deus Ecclesiam ab eis auferet. » Rursum: « In tantam homines fluctuationem atque errorem præcipites ibunt, ut cuinam cœu catholicæ veritatis assertori credere tuto possint, atque confidere, prorsus sint ignoraturi. » Item: « Exurget enim vox fallax, quæ omnes hinc paternæ voci (Christi et Ecclesiæ) auscultare nolentes in errorem abducat. Sonat autem nobis paternæ voci per vocem s. matris Ecclesiæ in omnibus doctrinis, præceptis atque consiliis illius. Væ proinde atque iterum væ omnibus voci huic obtemperare nolentibus, ut seipsos in veritate parvi pendant, et studeant esse humiles: his enim temerariæ desperationis vox inspirabitur, dicentibus pseudodoctoribus falsum esse, atque confictum quidquid unquam præcæ veritatis doctores hic docuerunt. » Hæc an per Lutheri hæresin Germaniæ contingerint, satis experti sumus.

Nos ergo, auditores, in ea perseveremus Ecclesia quæ et veritatem inviolabilem, et spiritum prophetiæ habet, nec alia nisi catholica est.

CONCIO IX.

MYSTERIA.

I. An apostoli interrogarint: Quo vadis? — II. Cur expediat Christum discedere? — III. Cur non debebat mitti Spiritum sanctum Christo in terris degente? — IV. Quomodo Spiritus sanctus arguit mundum de peccato, de justitia, de judicio? — V. Cur apostoli tunc non poterant omnia portare? — VI. Paraclitus cur vocatur Spiritus veritatis? — VII. Quomodo Spiritus sanctus docuit omnia, quando, quos? — VIII. Quomodo Spiritus sanctus non loquitur a seipso?

THEMA.

Ille me clarificabit, quia de meo accipiet et annuntiabit vobis, Joan. XVI.

Pleraque evangelia, auditores, quæ hoc paschali tempore leguntur, desumpta sunt ex præclaro et prolixo illo Domini sermone, quem habuit ad apostolos peracta ultima cena, et describit nobis Joannes, c. XIV. XV. XVI. XVII. Unde imprimis miretur aliquis, quomodo Joan-

nes tam longum tamque succosum ac sententiosum sermonem de verbo ad verbum referre et scribere potuerit. Deinde, cur Ecclesia sermonem illum cenæ, per tot evangelia repetat tempore hoc paschali? Hæc dubia nobis resolvit hodiernum evangelium, cum ait de Spiritu sancto Dominus: *Ille me clarificabit, quia de meo accipiet, et annuntiabit vobis*, ergo imprimis Spiritus sanctus est, qui præclarum illum sermonem ita suggestit Joanni, ut eum memoria retinere, et exacte scribere ad instructionem nostram posset, uti paulo ante Joan. XIV. dixerat Dominus: *Suggestet vobis omnia quaecumque dixero vobis* (Græce, *in memoriam reducet vobis omnia quaecumque dixit vobis*). Absque inspiratore illo nulli evangelistæ possibile fuisset, concionem illam repetere tam exacte et sincere. Deinde, quia Spiritus sanctus clarificare solet Christum, suggestit etiam Ecclesiæ ut hunc Domini sermonem, qui gloriam Christi Domini mire amplificat, sedulo ruminaret et inculcasset filiis suis. Nos ergo velut munda animalia ruminemus isto tempore, quæ Salvator noster in ultima sua cena manducanda nobis apposuit.

I. Quomodo apostoli non interrogarunt Dominum: *Quo vadis?* cum id Petrus paulo ante sub eadem cenâ fecerit, dicens: *Domine, quo vadis?* Joan. XIII. et Thomas cap. XIV. quasi interrogando: *Domine, nescimus quo vadis*, resp. istos quidem hoc proposuisse; sed eum respondisset Dominus: *Quo ego vado vos non potestis venire, debebant rursus querere: Quo ergo vadis, Domine?* Quod tamen non fecerunt. Deinde, priori interrogatione videntur tantum inquisisse terminum viæ, non ipsam viam et mirandos saltus, uti vocat S. Gregorius, homi. XXIX. in evang. quibus ad Patrem iturus erat Christus: ascendendo videlicet in crucem, inde descendendo in sepulchrum, hinc rursus exsiliendo in terram, indeque ad cœlum. Hos saltus edituram hominum nesciverant vel saltem persuadere sibi non poterant apostoli, unde nec interrogarunt de hoc miro itinere. Via de qua, c. XIV. dixit: *Et quo ego vado scitis, et viam scitis*, alia via est, Christus videlicet, ut exponit ipsemet: non passio et mors illius. Videtur ergo dicere Dominus: Audistis me ad Patrem ire, non tamen interrogatis, quia via et quibus mediis vestra oporteat ire; eum tamen plurimum vestra intersit, ut per crucem, mortem, resurrectionem et ascensionem ad eum pergam. Petrus suam interrogationem ideo formarat, ut posset sequi Dominum. Hoc vero cum fieri non posse intellexit debebat ulterius inquirere: Quo ergo vadis, Domine? Qua via, quibus passibus ad Patrem ire paras, ut sequi te non possim? Hæc eadem sunt, quæ nos sedulo expen-

dere decet. Primum, qua ratione Christus et sibi et nobis omnibus gloriam pararit; per stupendos scilicet saltus, ut ita ei grati simus, nec pigeat nos quadamtenus ipsum imitari. Exigui saltus sunt si de opibus ad inopiam, de fama ad ignominiam, de sanitate ad ægrotudinem, de dignitate ad contemptum forte saliamus. Majores saltus edidit Dominus: unde in Canticis dicitur: *Saliens in montibus et transiliens colles*. Secundum, qua ratione nos Christum imitemur. Plurimi nostrum ad finem tantum æternæ beatitudinis attendimus, media vero non curamus, uti filii Zebedæi, qui regnanti Christo assidere cupiebant, de passionis calice prius ebibendo nihil cogitabant. Ergo non ad finem tantum, quo tendimus, sed ad viam quoque et media sedulo attendamus, et primo ad mortem, ad tribulationes et passiones, quomodo eas superemus; deinde, ad spiritualem nostram resurrectionem, quomodo per veram et sinceram pœnitentiam de peccatis resurgamus ad gratiam et vitæ novitatem. Denique, ad ascensionem quoque, qua ratione post justificationem proficiamus semper in bono et progrediamur de virtute in virtutem. Ita seipsum crebro interrogabat Arsenius eremita: *Arseni, propter quod existis?* De sæculo scilicet ad eremum. Et S. Bernardus in suo monasterio: *Bernarde, ad quid venisti?*

II. Cur expediebat Christum recedere a discipulis per ascensionem? Resp. primo, quia cum prius existimarent regnum Christi fore temporale (ut indicant duo illi discipuli euntes in Emmaus) ex hoc discessu didicerunt, fore spirituale, temporali multo sublimius: quo hic in hominum animis regnaret per gratiam, ibi per gloriam. Secundo, ut discipulorum amorem purgaret et fidem perficeret. Hi enim dum præsentem cernebant Christi humanitatem, ei soli inhærebant ob præclarissimas virtutes in ea resplendentes; cum inde ad divinitatem ejus transire debuissent eique potissimum inhære. Fides etiam illorum, quamdiu illis aderat Dominus, tanti esse meriti non poterat, quam si ab eis tolleretur. Tertio, expediebat toti mundo Christum non in terris, sed in cœlo degere, ut sciremus ipsum esse cœli et terræ Dominum. Patri considerare in gloria, et inde velut e celsissimo throno contemplari et gubernare mundum: nobis vero adesse per venerabilem eucharistiam; quod sufficere nobis debet. Quarto, quia, ut subdit Dominus, alioquin Spiritus sanctus in terram missus non esset: *Si non abiero, Paraclitus non veniet ad vos: si autem abiero, mittam eum ad vos*, qua de re mox

III. Cur non congruebat mitti Spiritum sanctum Christo adhuc in terris degente? Resp.

Christo tria quasi stadia fuisse percurrenda in suo ad Patrem itinere, mortem, resurrectionem, ascensionem; et de singulis intelligi posse ea verba: *Si non abiero, Paraclitus non veniet*. Primum quidem, quia mitti non poterat Spiritus sanctus nisi Christus Deum inter et homines pacem firmasset sanguine suo. Missio enim Spiritus sancti effectus est passionis Christi. Ac licet patres veteris legis justum Spiritum sanctum habuerint, habere tamen non nisi ex sanguine Christi, suo tempore fundendo, anticipata solutione. Ita exponit Theophylactus et Rupertus. Secundum vero, quia non decebat membra coronari aut perfici ante caput, homines prius impleri Spiritu sancto quam Christus, qui nobis donum id promeruit, redderetur sua gloria. Non enim effundit se fons in rivulos, priusquam ipse suum impleverit alveum. Unde Joan. VII. dicitur: *Nondum erat Spiritus datus, quia Jesus nondum erat glorificatus*. Tertium denique ob plures causas. Primo, quia nisi Christus prius ad caelos ascendisset, non putaretur Spiritus sanctus a Patre et Filio missus esse, adeoque nec ab utroque procedere, sed a solo Patre. Secundo, operationes Spiritus sancti ut miracula, prophetiae, directio Ecclesiae, etc. non ita clare internoscerentur ab operibus Christi, sed hujus potius praesentiae quam Spiritui sancto adscriberentur. Christo vero ad caelos evecto, satis apparebat opera illa Spiritus sancti esse. Tertio, discipuli minus capaces fuissent Spiritus sancti, utpote adhuc carnali quadam dilectione Christo inhaerentes, ac veluti infantes hactenus lacte pasti: quod nisi eis subtraheretur, frustra daretur solidus cibus. Nihil est quod ita cum Spiritu sancto pugnat atque carnis et rerum terrenarum amor, etiam non illicitus, quia ut visco implicatae avium alae impediuntur a volatu, ita hominum animi terrenis rebus affixi evolare ad superna et sapere spiritualia bona nequeunt. Quamdiu ergo discipuli magistri sui praesentiae corporali adhaerebant, ad divinitatis ejus amorem difficulter se elevare poterant. At postquam Christi humanitas, inquit Haymo, exaltata est super caelos, apostoli pariter omne desiderium post Dominum transtulerunt. Idem docet Augustinus, Gregorius, Bernardus, Beda. Jam vero, auditores, si apostoli Christi capaces non fuerunt Spiritus sancti quamdiu carnem Christi sanctissimam omnique virtutum splendore rutilantissimam corporaliter amarunt, quomodo nos Paraclitum illum sperare possumus, qui saepe carnem peccatricem, fetidam et foedam, peccatis assuetam amamus? « Errat, errat omnino, inquit S. Bernar. serm. VI. de ascens. si quis caelestem illam dulcedinem huic cineri, divinum illud balsamum huic veneno, charismata illa

Spiritus misceri posse hujusmodi illecebris arbitratur. Quis enim sectans lenocinia carnis suae sperare audeat gratiam illam Spiritus vehementis, quam ne cum ipsa quidem Verbi carne obtinere apostoli poterant? »

IV. Quomodo Spiritus sanctus arguit mundum de peccato, de justitia, et de judicio? Resp. de peccato: imprimis infidelitas arguit Judaeos impios, quia non crediderunt in Christum ad se praeter aliis missum, a se visum et auditum; qui ideo excusationem non habent. De hoc autem specialiter eos redarguit, quia infidelitas eorum summum erat peccatum et radix caeterorum scelerum. Radice autem arboris emortua, nullus ab ea sperari fructus potest. Ita exponit S. Chrys. hom. LXXVII. in Joan. S. Aug. tr. XCV. in Job. Deinde, de peccato universim, tam originali quam actuali, arguit non Judaeos tantum, sed omnes infideles, quia ostendit eos esse peccatores, et in peccatis haerere, quotquot fidem noluerunt amplecti, quia extra fidem non est justitia et salus, quemadmodum nec remedia salutis, baptismus, remissio peccatorum et alia. Ita Cyrillus, l. X. c. XL.

De justitia primo ipsius Christi, quem justissimum et sanctissimum, tametsi a Judaeis crucifixum, ostendit, eo quod Christus post passionem suam in caelum ascendit et sedet a dextris Dei, in quod mundo testificatus est Spiritus sanctus, velut testis ejus ab ipso in terram missus. Quod si Christus justissimus non fuisset, sane ad dexteram Dei nequaquam ascendisset. Si, ut Judaei clamabant, malefactor et seductor fuisset, non caelum, sed orcus potius illum excepsisset. Ita D. Chrysostomus. Secundo, de justitia fidei christianae, quam solam veram esse justitiam docebit, arguet vero justitiam politicam et hypocriticam philosophorum, Judaeorum, haeticorum et politicorum, velut inanem et inutilem, ut quae hominem fingit tantum justum, non facit. Vera justitia in sola Christe fide, eaque non mortua sed vivente, est, quam justitiam nobis paravit Christus, quando per mortem et sanguinem suum ad Patrem ivit. Tertio, de justitia apostolorum et caeterorum fidelium, quod eam infideles imitari nolint, sed barbaram potius, obscenam et flagitiosam vitam ducant; quemadmodum ostendit eis Spiritus sanctus comparatione Christianorum, humanam, castam et inculpabilem vitam degentium, denique in Christum etiam absentem firmissime credentium et sperantium eique per amorem adhaerentium; quod notat Dominus cum ait: *Quia vado ad Patrem, et jam non videbitis me*. Sane historiae tradunt multos gentiles conspecta Christianorum fide et amore erga Christum, ita ut pro eo

quævis adversa pati gestirent, mirum in modum partim eruditos, partim confusos fuisse: ex illorum innocentia suas maculas et sordes agnovisse. Ita D. Augustinus et Cyrillus.

De judicio primo, quia ostendit mundum a Christo judicandum et impios quidem condemnandos cum Lucifero et igni aeterno tradendos; siquidem ipse Lucifer, princeps impiorum, jam judicatus et damnatus est, qui tamen prius inter angelos speciosissimus erat. Hujus ergo lapsu si non erudiat et caveat sibi mundus, sed insuper etiam adhaereat huic reprobato, et ad orcos detruso angelo, ab eo consilia et opem postulet, cum eo conspiret, suggestiones ejus audiat, etc. redarguitur a Spiritu sancto velut jure et ipse damnandus. Ita Aug. tract. XCV. Secundo, quia ostendit Luciferum a Christo jam suo imperio exutum et triumphatum, quod praedixit Dominus, Joan. XII. *Nunc princeps hujus mundi ejicietur foras, etc.* idque mundo demonstratum est, quando ex idolis et hominibus undique daemones pulsati, delubra dejecta, idolatria extincta est. Hinc ergo colligere mundus debet Christum revera mundi principem esse, ab omnibus colendum, non diabolum. Alia moralis hujus loci expositio videri potest parte 4. conc. in festo SS. Philippi et Jacobi, conc. IV. in epologo.

V. Quam ob causam apostoli non poterant tunc portare omnia, quae dicenda erant? Resp. primo, ob maestitiam, qua occupati erant: futuri postea capaces cum descendisset Spiritus sanctus eosque consolatus fuisset. Secundo, quia doctrinae tradendae tunc eorum captum superabant: Spiritus sanctus illuminatio necessaria illis erat, ut sentit Augustinus, Chrysostomus, Cyrillus. Postquam ergo Dominus, Spiritum sanctum ss. apostolis misit, credibile est per illum aperuisse etiam illa, quae prius capere non poterant. Ait enim Dominus: *Adhuc multa habeo vobis dicere*. Sed nonne Joann. XV. ait se omnia quae audivit a Patre, nota iis fecisse? Respondeo, nota fecisse omnia, quae illos tunc temporis scire oportebat, non quae futuris temporibus. Vel praeteritum: *Nota feci*, includit etiam futurum, phrasi Scripturae.

VI. Quare Paraclitus vocatur spiritus veritatis? Resp. primo, per Hebraismum, quia est verissimus, nullamque omnino falsitatem docere, neque decipi potest, ideoque fide dignissimus est, ut ait S. Chrysostomus, hom. LXXIX. in Joan. Secundo, quia est Spiritus Patris et Filii, qui est vera et genuina Patris imago ac Verbum, quem admodum veritas est conformitas sermonis, vel imaginis cum re. Tertio, quia veritatem aperit, umbras figurarum veteris legis revelat et explanat, ut docet idem Chrys. hom. LXXIV. in Joan. te-

nebras quoque ignorantiae depellit, hominemque ad cognitionem verorum et solidorum, hoc est, superiorum honorum adducit: quo modo philosophia aperit homini oculos ad cognitionem rerum naturalium. Quarto, quia ediametro contrarius spiritui terreno et diabolico, qui sunt spiritus mendacii. Ut enim duae sunt sapientiae, teste S. Jacobo, c. III. una de sursum, altera terrena, ita duo quoque sunt spiritus, quorum alter insufflat veritatem et caelestes facit, alter insufflat mendacia et terrenos facit.

VII. Quomodo, quando, et quos docuit Spiritus sanctus omnem veritatem? Resp. ad primum, non docuisse omnia absolute, v. g. omnes philosophorum scientias, aut septem artes liberales, sed omnia quae apostolos scire decebat, videlicet quae ad fidem et mores, ad Ecclesiae regimen, ad Scripturarum interpretationem pertinent.

Resp. ad secundum, incertum esse an ea quae diximus, docuerit apostolos simul et semel in die pentecostes, an vero paulatim etiam postea. Hoc posterius videtur ex Actis apostolorum colligi, ubi instruitur Petrus de vocatione gentium per linteam caelo demissum, c. X. et cap. XV, ubi in Concilio apostoli consultant de observatione legis Judaicae.

Resp. ad tertium, non solos docuisse apostolos, sed Ecclesiam quoque, ejusque imprimis rectores et summa capita, ut Romanos pontifices, patres in Conciliis legitime congregatos, doctores Ecclesiae, etc. Aequè enim Ecclesia posteris temporibus eguit hoc doctore, ac tempore apostolorum, unde Dominus dixit Joan. XIV. *Ego rogabo Patrem et alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in aeternum*. Singularem autem hujus doctoris assistentiam habet sedes Romana, ita ut in rebus fidei Ecclesiae proponendis et explanandis nequeat errare; alioquin suae Ecclesiae Christus nequaquam satis providisset, si nimirum navarchus ipse sua imprudentia evertere navim posset.

VIII. Quomodo Spiritus sanctus non loquitur a semetipso, sed quae audit? Resp. primo, quia quaecumque docet a Patre et Filio accipit, a quibus et procedit. Quae ergo ab aeterno accipit, illa nobis tradit. Secundo, quia perficit doctrinam a Christo prius traditam, vel potius inchoatam. Poterat Christus Ecclesiam, in omnibus per se erudire, non indigni substituto. Sed voluit dare locum etiam Spiritui sancto fortiae in divinis Personae, eique suam Ecclesiam, a se genitam et lacte enutritam commendare velut praedagogo et doctore: ut ita Patris creatoris, Filii redemptoris, Spiritus sanctus doctoris dignitate coruscaret, indeque mysterium SS. Trinitatis mundo clarius innotesceret. Tertio,